

indignationem verberum, quibus fuerat castigatus, et iustitiam Flacci praetoris, qui propter huiusmodi audaciam existimaverit puniendum. Ita utrumque fit: ut testi auctoritas defloretur et Flacci iustitia comprobetur.

5

Qui multitudinem illam non auctoritate sua, sed sagina tenebat.

De Mithridate Pergameno loquitur, a quo vehementer adseverat testes esse corruptos. Et quo magis eorum levitas et paene obsequium servile detegeretur, *quam* 10 *multitudinem*, inquit, *non auctoritate sua, sed sagina tenebat*, ne quid fidei hominibus adsit, qui parasitorum in modum vel solo possint ventre corrumpi, ad gylae blandimenta venales.

Quod se velle dixit, id sutores et zonarii con- 15 clamarunt. Hoc testimonium est civitatis?

... ωc in clausula pronuntiandum est ... quid sit testimonium. Ad quod destruendum ... ab oratore praemissa est dicendo sutores et zonarios, ut vulgaribus et sordidis artificiis appareat humilitas per- 20 sonarum nec ullum genus publicae maiestatis obtineat.

§ 19. Quibus odio sunt nostrae secures.

Εἰρωνικῶς. Magna cum invidia exaggeratae sunt causae, quibus utique verisimile sit Graecos contra Flaccum voluisse mentiri, quod e<a om>nia, quae in provinciis 25 exercentur, habuerint semper onerose et ea gravate tulerint, odio iam non praetoris unius; sed Romani im-